



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 22. Quomodo Pilatus Christum interrogauerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

*aut verum exaggeramus, aut sine causa  
alijs defectus illius apperimus.*

5. *Christum ut seductorem accusant  
ij, quos poenitet audisse eius inspirationes,  
& coepisse illius seruituti se dare: deside-  
rantes videlicet redire ad ollas Aegypti.*



## MEDITATIO VIGESIMASECVNDA.

QUOMODO PILATVS CHRIS-  
TUM INTERROGAVERIT.

EVANGELIVM.

*Matth. 27.*

*Marc. 15.*

*Luc. 23.*

*Ioan. 18.*

**I**NGRESSVS est er-  
go iterum Pilatus in  
prætorium, & inter-  
rogavit Iesum: Tu es  
Rex Iudæorum? At il-  
le respondens ait: Regnum meum  
non est de hoc mundo. Si ex mundo  
esset regnum meū, ministri mei uti-  
que decertarent, ut non traderer Iu-  
dæis. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo  
Rex

Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dicit ei Pilatus, quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit Pilatus ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit: Tunc dixit ei Pilatus: Non respondes quicquam? non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? Iesus autem amplius non respondit ei ad vllum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. At illi inualescebant dicentes; Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa.

## PROPHETIÆ.

**E**GO autem constitutus sum rex ab eo, *Psal. 2.*  
super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.

Testem populis adhi eum, ducem ac *Isaia. 55.*  
præceptorem gentibus.

*Posui ori meo custodiam, cùm confisteret peccator aduersum me.*

## CONSIDERATIONES.

1. Punctū. **I**NTERROGAVIT Pilatus Christum, *Quid est veritas?* & mox responsione nō expectata, exiit foras. Infelix Pilate, cur abiisti, nec illud respōsum expectasti, quod solū tibi ad bene beateq; viuendum satis esse potuisset? interrogas nempe quid sit veritas, at illa ipsa est tibi in oculis, nequē eam agnoscis, atque ad eō relinquis, vt aures præbeas mendacijs Iudæorū? Facile apparet Pilatum non egisse partes veritatis, qui cū ab ipsius filij Dei ore accepisset, ipsum esse regem desideratum cunctis gentibus, qui ad hoc in mundum venisset, vt testimonium perhiberet veritati; non meruit tamen audire, quid esset veritas. Quanquam quid mirum de Pilato homine impio, qui se quendam quasi mundi Deum constituerat, si cælestem hanc doctrinam tam nihili estimauit: nos ipsi, qui Christianum nomen profitemur, satis illam in paruo precio habemus. Ah mi Domine, quoties accessisti ad me, imò fugientem cursu persecutus es, impellente amore paterno, vocans me & cohortans: ego verò non audiebam non obediebam.

obediebam. Quoties apprehendisti me, brachia collo meo innectens, vt in secreto auris meæ loquereris verba veritatis tuæ: & ego fugiebam, & auertebā me ne audirem aut facerem, quæ me ad salutem meam docebas.

Fatetur Pilatus se causam mortis in Christo non inuenire. Considera quomodo innocentia Christi, qui apud suū populum, infinitis beneficijs ipsi deuinctum, nullum misericordiæ aut defensionis locum reperit, eundem inuenit apud Ethnicum hominem, qui illum ante non nouerat. Quam relictus es bone IESV, qui nullum habes qui tuam causam suscipiat, excuset & defendat te? Sacerdotes & populus Iudæorum: quorum tu de gente es, quiq̃ue meritò tibi amici & defensores esse debebant, omnes tibi aduersantur: soli qui capitales tecum inimicitias gerere videbātur, te excusant, & iustum pronunciant, Iudas scilicet & Pilatus. Nam & Iudas profitetur peccasse se quod tradidisset sanguinem iustum: & Pilatus diserte ait, se non inuenire causam mortis in illo.

Rectè dicis, Pilate, non inuenire te causam mortis in Christo neque enim fieri poterat, vt in eo qui esset vera vita, inueniretur causa mortis: sed si quam

reperire vis caussam, noli eam in Christo quærere, sed in me, ego sum illi causa mortis, ego sum pro quo moritur, in me inuenies magnam superbiam graue ingrati animi vitium, cordis duritiem inlignem, & tot alias mortis illi causas, vt omnes enumerare non possim. Est & alia causa in ipso Christo, quam idè non reperis, quia nò quæris, si enim rectè quæsiisses, inuenisses in ipso nò leuiorem moriendi causam, quàm in me: imò verò etiam grauiorem. Etsi enim grauis est culpa mea; longè tamen est maior caritas ipsius, quæ causa est proxima illi ad moriendum. Ne igitur dixeris non esse causam mortis in illo, sed te non inuenire. Nam si cognitam haberes illius caritatem, obedientiam, misericordiam, desiderium salutis animarum, simul si nouisses meam improbitatem, inuenires vtique in me multas & graues causas, in ipso verò longè etiam maiores.

Vbi animaduenterunt Iudei, Pilatum inclinare ad Christum absoluendum, magnis agunt clamoribus, & nouas prioribus superingerunt calumnias: *Com-mouit populum, inquiunt, incipiens à Galilæa vsque huc. Vnde* quid possit inuidia, & quas tenebras animis Iudæorum offuderit,

offuderit, benefacta Christi malefacta interpretantur, & præclarissimas actiones criminis loco obijciunt, quasi ijs mortem sit meritus. Sanè subleuarat & commouerat populum Christus, non ad seditiones aut rebelliones: sed subleuarat à tenebris ignorantibus, ad lucem veritatis, à morte peccati ad vitam gratiæ. Commouerat etiam populum, sed docendo, patrando miraculis, curando infirmis, mortuis ad vitam reuocando, ijs deniq; rebus efficiendis, quas nullus vnquã mortaliũ fecerat. Hæc non crimini, sed laudi & admirationi esse debebãt.

Considera rarum in Salvatore exemplũ patientiæ. Nã laceffitus tot falsis criminationib<sup>9</sup> inter tot cõuitia, tantã clamoris inconditi confusionem, quibus ad mortem expetebatur, mirum fuit, qua sit vsus patientia, non exiuit ex ore eius vox vna asperior aut durior, non se abijcit ad deprecandum pro sua salute, non lacrymis inimicorum iram placare conatur, aut iudicem ad misericordiam sui mouere, denique nihil fecit aut dixit, nisi quod animo forti magnoq; dignũ esset. Quæ tum flãmæ amoris, bone Iesu, ardebant in tuo pectore, quas tantũ torrentes & flumina iniuriarum non potuerunt exstinguere? Heu mihi!

quàm procul abs sum ego, à tanta tua caritate & patientia?

Ad extremum considera, miram ipsius humilitatem & mansuetudinem, qua corā Pilato stabat. Vide quomodo magnus ille & potens Dominus, iudex cæli & terræ, stet ante tribunal impij & vilissimi mancipij, ligatis manibus, demisso capite, omnib. calumnijs, iniurijs, & cōuitijs expositus. Vide vt aliquando respōdeat, plerunque taceat, cūm respondet, tanquam bonus Pastor docet & instituit suum gregem: cūm tacet, tanquā mansuetus agnus, qui pro toto grege in sacrificio mactādus erat; humiliter omnia sustinet.

COLLOQVIVM.

**R**OGABIS Christum D.N. vt, quē admodum ipse, summa veritas, passus est se ex amore tui tam falsò & calumniosè accusari, non aperiens sanctissimum os suum: sic & tibi gratiam concedat, vt vitam cum virtute agens, libèter pro gloria sanctissimi nominis illius feras omnem ab hominibus infamiam & calumniam, quoniam autem regnū ipsius nō est de hoc mundo, roga etiam, vt tu quoque honores omnes & fauores humanos contēnas, illud solum  
verum



verum & perpetuum regnum quærens,  
quod ille sibi fideliter seruientibus præ-  
parauit.

## DOCUMENTA.

1. *SI regnū Christi nō est in mundo, non  
desigendus est in rebus terrenis ani-  
mus, neq; hic, sed cum Christo in cæ-  
lo quærenda solatia.*
2. *Is se veritatis patronos profitentur,  
neq; tamen ut Pilatus, eam audire vo-  
lunt, qui cū probitatem Christianā aut  
religionem professi sint, oblata exercenda  
virtutis occasione, nihil agunt: aut veri-  
tatem si quando illis dicatur, reijciunt,  
nec illi volunt auscultare.*
3. *Aduersarijs & calumniatoribus no-  
stris, si quando ignorantia peccent, re-  
spondendum est, ut ijs satis fiat: at si ma-  
litia, peccent, tacendum & ferendum: si-  
cut Christus Pilato sæpius respondit, ad  
calumnias & conuitia Iudeorum semper  
tacuit.*
4. *Pilatus, cū Christum ad omnia  
crimina tacitum videret, miratus est ve-  
hementer patientiam eius & virtutem.  
Sic & nos cū iniurijs aut contumelia  
afficimur, plus tacendo apud aliorū ani-  
mos, quàm respondendo & defendendo  
proficimus.*

5. *Si quando in ipsis laboribus pro salute animarum susceptis, facta nostra in calumniam vocentur solemur nos: quando & Christus D. N. post tot arumnas pro salute populi sui toleratas, seductor & concitator populi habitus est.*



## MEDITATIO VIGESIMATERTIA.

*QUOMODO CHRISTVM PL  
latus Herodi transmisit.*

EVANGELIUM.

*LUC. 23.*



PLATVS ergo cum audisset Galileam interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim